Epistola Pastoralis
KALENDARIO
ANNI 1851
PRÆFIXA.



JOANNES NEGRI

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPUS DERTHONENSIS

Ac Princeps Campi Beati

S. S. PRÆLATUS DOMESTICUS, PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS,
ET SS. MAURITII AC LAZARI EQUES COMMENDATARIUS

Universo Clero Civitatis et Dioecesis.

Quidquid homines hujus saeculi de Christiano Sacerdotio censeant, constat tamen, Venerabiles Fratres, illud a Divino ipso Christi Sacerdotio non secerni, cujus Ministri sumus et pro quo legatione fungimur. Hinc illa Apostoli — *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi et Dispensatores mysteriorum Dei;* (1 Cor. IV. 1) et illa rursus — *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos* (2 Cor. V. 20). En quam

praecellens Christiani Sacerdotii dignitas! Is unus eam parvipendere audebit qui veram religionem jam nulla veneratione prosequitur.

Dum ista proferimus, non ii sumus qui superbiae tumorem in Ecclesiae Ministris fovere gestiamus: probe scientes, non parum iisdem esse timendum ex ipsa muneris amplitudine, ad quod fuerunt assumpti. Praestat tamen, ut officii sui celsitatem dignitatemque saepe recolant, ne in moribus aliquid admittant quod abjectum ac probrosum sit, neque propriae dignitati dedecus inferant.

Hinc jure Sacri Doctores non vulgarem requirunt in Ministro Christi morum ac vitae sanctimoniam; quam etiam exigit sanctitas ministeriorum, quibus mancipatur. Re enim vera quis verbis non dicam exprimere, sed ne mente quidem intelligere valeat, quam Divinum sit Corpus Christi conficere ac litare, peccata dimittere, Sacramenta ministrare, Divino eloquio Ecclesiae nomine edicere, inter Deum et homines Mediatorem agere? Cum autem sint sancte sancta tractanda, merito in eo, cui tam sancta commendantur, praeclara animi virtus exigitur. Cujus veritatis assertores vel perditissimos homines habemus, qui ex hoc ipso non raro viris ecclesiasticis improperant vel levissicula, a quibus vix humana infirmitas eximitur.

At cum Sacri Ministri ex hominibus assumpti pro hominibus constituantur in iis, quae sunt ad Deum; ejusmodi ipsis esse debet virtus ac sanctitas, ut inde etiam exemplo sint fidelibus, juxta illa Apostoli ad Timotheum — *Exemplo esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* (1 Tim. IV. 12). Dicimus nimirum, etsi Christi Ministri miris virtutibus nitimis florerent; aliquid adhuc iis defuturum, si per eosdem haud haberetur fidelium aedificatio. Ad hanc ipsos teneri satis significavit Christus Dominus, dum eos nuncupavit *sal terrae et lumen mundi.* (Matth. v. 13, 14).

Hisce quippe comparationibus seu tropis quid aliud insinuatur, nisi Ministros Ecclesiae illud esse ad aliorum hominum salutem quod est sal quoad ea quae corrumpuntur, et lumen quoad tenebras? Ad id nempe ipsi sunt positi, ut sua virtute morum corruptelas cohibeant, et errorum tenebras dissolvant. Hinc Christus statim addidit — *Quod si sal evanuerit in quo salietur?* et rursus — *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in Coelis est* (Math. v. 13, 16).

Haec quidem non sunt ita accipienda, quasi solis exemplis promovenda sit a Sacris Ministris fidelium sanctificatio; cum ad hoc idem divinitus sint instructi

mira potestate ac muneribus. Non est tamen diffitendum vim magnam, et quodammodo praecipuam, bonis eorum exemplis inesse ad alliciendos homines ad virtutis amorem. Ea quippe est indoles humanae naturae, ut vividius percellatur operibus quam verbis. Quod Divus Bernardus agnoscebat iis notissimis: *vox quidem vocis sonat, vox autem operis tonat*.

Nullam itaque dubiam, Venerabiles Fratres, quin fratrum nostrorum saluti adjumentis omnibus prospicere debeamus, quibus per Christum et Ecclesiam fumus instructi; at in primis optimis operibus atque exemplis. His quippe primas partes esse dandas in promovenda fidelium salute aeterna, satis evincit Divini Magistri exemplum, de quo in Actis scriptum legimus — *coepit facere et docere* (Act. I. 1). Idipsum confirmat illa Salvatoris sententia, qua magnum futurum eum dixit *in Regno Coelorum, qui fecerit et docuerit*. (Mat. v. 20). Quod adeo verum est, ut, deficiente bonorum operum exemplo, spectatissimae etiam Sacri Ministri dotes vix ullo cedant animarum bono. De ejusmodi viro ecclesiastico illa quodam modo dici possunt, quae Paulus scripsit, etsi loqueretur linguis hominum et angelorum, qui non haberet charitatem, futurum *velut aes sonans aut cymbalum tinniens* (1 Corinth. XIII. 1).

Propterea dum futurum confidimus, Venerabiles

Fratres, ut in votis sit omnium nostrum uberiores usque fructus referre in vinea Domini, impense hortamur atque instanter rogamus, ut numquam in nobis desiderentur optimarum virtutum exempla, ne forte frustretur finis Ministerii nostri. Praestat itaque, ut ita componatur ratio vitae nostrae, qua nos intuentibus commendetur religio, pietas, charitas et aliae virtutes quae Christi fidelibus congruunt et ad salutem requiruntur.

Hinc dum Christianam plebem hortamur ut sacra templa adeat, Sacramenta frequentet, dies festos sanctificet, reliqua Dei et Ecclesiae praecepta revereatur ac impleat, eadem prius nos opera compleamus, praecepta factis firmantes. Cum in votis nobis sit, ut ab omnibus serventur leges justitiae ac charitatis, obedientia adhibeatur iis qui praesunt, observantia his qui praecellunt, satagamus et nos in his virtutibus praeclaros evadere. Demum cum optemus, ut a Christianorum moribus ac sermonibus exulent quaecumque dedecent in homine baptizato; nos quoque vel minima in istis caveamus.

Utinam ii essemus, quibus liceret illa Pauli usurpare — *Imitatores mei estote, sicut ego Christi* (I Cor. XI. 1); aut illa — *Observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram* (Philip. IV. 17)! Uberes tunc

vitae aeternae fructus in nobis et in aliis ex sacris Ministeriis coelestis gratiae benedictione foecundatis fidenter expectare liceret. Certe si charitate fervidi aemularemur Apostolicos Viros cujusque aetatis, et nobis fas esset uberes cum ipsis fructus colligere. Neutiquam tamen despondendum animis ob perspectam infirmitatem nostram. Aliquid jam est eam agnoscere ac confiteri. Deinde si adeo excelsa attingere non possumus, ad quae Sancti pervenerunt, quid vetat ut saltem pro modulo nostro quaeramus eorumdem semitas saltem a longe sequi? Anne Benignissimus Dominus in se sperantes deseret, quibus auxilium imo promisit, si petierimus?

Juverit hic potius illorum in hac re errorem notare, qui, forsan metu inanis gloriae, quae bona opera peragunt, ita studiose tegunt, ut alii fideles eadem omnino ignorent. Nam etsi aliquando id prudenter fiat, ut ex Evangelio didicimus; alias tamen, ne dicamus saepius, permittere possumus, ut lux operum nostrorum luceat coram hominibus. Imo haud raro etiam ad hoc tenemur ne scandalum oriatur.

Quod si minus probandi, qui modestia excedunt; multo minus qui nimium fidentes rectae cuidam intentioni, parum solliciti se praebent de iis vitandis aut a se amovendis, quae oculos aut aures fidelium offen-

dere possunt. Si enim Religionis hostes ipsas Ecclesiasticorum virtutes in vitium vertere noverunt; quis non vereatur, ne delicti loco traducant quod solum suspicionem excitare potest? Numquam siquidem obliviscendum, dum homines ejusmodi omnimodam pro se vivendi licentiam volunt, severissimam deinde ethicen sequi, cum in Ecclesiasticorum mores inquirunt.

At prae omnibus ii culpandi, qui putantes serviendum esse temporibus, eousquo hanc agendi rationem pertrahunt, ut plura etiam postabeant, quae Ecclesiae legibus aut praescribuntur aut vetantur. Has vero quis non videat demum esse servandas, potissimum ab iis qui Ecclesiasticae militiae sunt adscripti? Utinam hi praevaricatores aliquando adverterent, se, dum optimos quosque maerore afficiunt, frustra adlaborare ut in aliorum veniant existimationem; quum immo apud eos se contemnendos exhibeant, quibus placere conantur! Sin minus ergo amore virtutis, saltem timore humanae vituperationis hanc a corde insipientiam depellant.

Post haec sub Nostrae exhortationis finem, liceat fidentius, Venerabiles Fratres, vobis ob oculos ponere gravissima illa, quibus Apostolorum Princeps omnium temporum Pastores ad propria munia alacriter implenda excitabat: — *Seniores obsecro consenior ... pascite*

qui in vobis est gregem Domini providentes non coacte sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed forma facti gregis ex animo Et cum apparuerit Princeps Pastorum percipietis immarcescibilem coronam gloriae (1 Petr. V. 1, 2, 3).

Quid enim aptius, quid his efficacius dici poterat ad zelum nostrum inflammandum in curanda animarum salute tum opere, tum exemplo? Profecto Apostolus animarum rectores specialim compellat. At nec alios praetermittit, qui et ipsi demum Sacerdotio Christi sunt initiati. Vult itaque Apostolus, ut quotquot sumus Ecclesiasticae militiae adscripti, intendamus omnes, unusquisque pro modulo et gradu suo, Dominico gregi pascendo, non quidem perfunctorie, sed ex animo; non utique velut coacte, sed spontanee; non terrena, sed caelestia quaerentes. Cui majora non conceduntur, is minora non negligat; ut esset puerorum ac rudium eruditio. Qui nihil potest opere, praestet precibus; quodque caput est, qui nequit ministrando implere, impleat exemplo: quod ex dictis ad sanctificationem animarum operandam aliquando alus praevalet subsidiis.

Neminem certe fugit, nos ea vivere aetate, qua animarum pericula multo majora existunt quam olim essent. Multa moribus nostris exciderunt, quibus ma-

xima vis inerat ad homines a peccato arcendos, atque ad bonum alliciendos; prout sunt alia, quae eosdem potius ad peccandum alliciunt. Constat reapse Sanctissimae Religionis documenta ac praecepta magis magisque in dies posthaberi ac proculcari. Interim nihil praetermittunt Religionis osores, ut sacris Ministris omnis existimatio apud Christianam plebem adimatur; illudque agunt dicteriis, conviciis, irrisionibus, calumniis, ut ubique male audiant ac despectui habeantur.

Porro in tam lacrymabili Christiani populi conditione qui fieri potest, ut qui sacro charactere sunt insigniti, per desidem aut incompositam vivendi rationem non horrescant ad majorem usque animarum perniciem Religionis hostibus associari? Absit, ut de Venerabilibus Fratribus nostris adeo funesta expectemus! Nihil immo dubitamus, quominus ingruentibus magis animarum periculis, majores animos simus sumpturi in iisdem alacriter subveniendis tum Sacro Ministerio, tum potissimum optimis exemplis.

Sperandum inde, ut plures, Deo dante, Christo lucrifacere possimus. Quod si contingat non inde fructum percipere, non ea certe deerit remuneratio, quae impenditur operi ac labori, non vero fructui qui in manu solius est Dei. Illud saltem consequemur, ut — *benefacientes obmutescere faciamus imprudentium homi-*

nem ignorantiam (1 Petr. II. 15). Dum enim nos ipsos exhibebimus in omnibus — *exemplum bonorum operum... ut, qui ex adverso est, verebitur nihil habens malum dicere de nobis* (Tit. II. 7, 8) Si eousque procaces fuerint adversarii, ut nihilominus in apertas calumnias, maledicta adversus nos insurgant, non tamen movebimur: illa Christi memorantes — *In mundo pressuram habebitis, sed confidite: Ego vici mundum* (Joann. XVI. 33). Recolentes insuper illa Petri — *quoniam tempus est, ut incipiat judicium a domo Domini. .... hi, qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis* (1 Petr. IV. 17, 19); praestolabimur fidenter immarcescibilem illam coronam gloriae, quam Princeps Pastorum se daturum promisit cum apparuerit. Valete.

Dat. Derthonae die 15 Decembris 1850.

✠ **JOANNES** Episcopus.

Can.

Derthonae ex typis Rossi